

Albrecht Joachim Krakevitz von Balthasar Heinrich Platen von

Disputatio Theologica De Regeneratione

Rostochi[i]: Wepplingius, 1700


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742255115>


Druck Freier  Zugang




RU theol. 7. Febr. 1700

Krakowitz,
~~Platen, Balth. Henr.~~







26

573

²⁹
ד ב ח ט

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

342

REGENE- RATIONE

QVAM
MODERATORE SPIRITU SANCTO
ET CONSENTIENTE REVERENDA FACUL-
TATE THEOLOGICA
SUB PRÆSIDIO

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

VIRI GENEROSI, EXCELLENTISSIME atq. AMPLISSIMI

**DN. ALBERTI JOACHI-
MI de KRAKEVITZ,**

S. S. TH. D. ET LINGV. HEBR. ITEMq. CATECH.
CHRIST. P. D. P.

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS ac HOSPITIS

SUI AD CINERES USq. COLENDI, DEVENERANDI,
A. O. R. M. DCC. Die VII. FEBRUARII

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIÆ
AUDITORIO MAXIMO

PUBLICÆ ET PLACIDÆ *ᾠολογίας* Disquisitioni EXPONET
RESPONDENS

BALTH. HENRICUS de PLATEN

EQVES RUG. SS. THEOL. STUD.

••••• Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

72
1700

IN TERRIS
DULCISSIMO ATQ; ÆSTIMATISSIMO
NOMINI
VIRI GENEROSISSIMI, PERSTRENUI
AC NOBILISSIMI,
DN. BALTHASARIS
RIS de PLATEN,

HÆREDITARII in DORNHOFF, MATTCHOW,
Kleinem GARDOW & BÄRGEROW.
HANC DISPUTATIONEM THEOLOGICAM

inscribere, insimulque
HASCE PRIMITIAS ACADEMICAS, tanquam
Debitæ gratitudinis tesseram,
ac monumentum

PARENTI atque GENITORI SUO
carissimo, mellitissimoque:

Cum ardentissimo omnigenæ prosperitatis ac felicitatis voto.

Dare, dicare, & cōsecrare
voluit, debuit

Filius ejusdem obsequiosissimus
BALTH. HENR. de PLATEN.

REGENERATIONE

PROOEMIUM.



EXtra Scripturam sapere: quid est? nisi insipere. Quæ illa revelat, nobis non sunt obtegenda; & quæ obtegit, cum Deus revelare ea noluerit, retegenda non sunt. Quotquot itaq; adulti sumus, hoc sentiamus: *Si enim quid credendum, à Deo certe id revelandum*, argumento loci ex Epist. ad Philipp. III. 15. Credimus ergo & nostri Regenerationem, imper-
scrutabilem licet, sanctè tamen in Sacris, & quidem in quantum ad salutem scitu necessaria, ex abundantia traditam. Ogganniat ratio quicquid velit: *QVOMODO potest quispiam nasci, qui est senex, num potest in uterum matris sue secundo introire & nasci?* Joh. III. 4. Prompta est responsio: *Ne mireris hominem iterum gigni. Ventus, quò vult, spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat & quò vadat. Ita est, quisquis genitus est à spiritu.* Joh. III. 7. 8. Quod si enim terrenorum non potest sufficiens dari ratio, cur adeo scrupulosi sumus in rebus, quæ sunt supra intellectum? Venti naturam quis enarrabit? Conf. Pl. CXXXV. 7. Eccl. XI. 5. Jerem. X. 13. LI. 16. Vis tamen atque efficacia ejus satis testatur de ejusdem & essentiâ & existentiâ: Ita, quia Spiritus S. regenerans in nobis sentitur, hinc & inde cognoscitur. Absit autem, ut scrupulosâ de modò hujus Regenerationis indagati-
one, nescio quos nobis fingamus conceptûs. Ipsa tamen res non est reticenda, sed meditanda sobriè: Quicquid enim ipse Christus docuit, & à Prophetis, sanctissimisque Novi Testamenti Præconibus traditum, imo! sine quò non possum introire in regnum cœlorum, illius certè notitiâ maximè est necessaria. Cum itaq; de Regeneratione omnia hæc prædicata Sacra affirmet pagina, hinc lucidè quoque apparet, tantam de Regenerationis doctrinâ jure à nobis requiri no-
ticiam

tiam, quantum ex Scripturis haurire unquam possimus. De fidei enim articulo fundamentalis, eodemque fidem immediate causante certo nobis constare debere, in apico est. Accusandi profecto & ex merito nostrae essent Ecclesiae Theologi, si doctrinam adeo necessariam suis non proposuissent Auditoribus: Verum enim vero, cum nunquam fuerit tempus, quo non sufficiens de Regenerationis gratia instituta fuerit tractatio, frustra Ecclesiae nostrae Antiquitates criminis poscuntur. Nec est, cur causam collapsi hodie Christianismi in defectu tractationis de Regeneratione quaerere velimus: Quoties enim de Conversione, Justificatione & Renovatione, sive antiquitus sive nostris actum fuit temporibus, toties idem inculcatum fuit quod hodie sub Regenerationis titulo a Novarurientibus quibusdam tractari solet. Nobis itaque de Regeneratione quaedam conscripseris dissertatiunculam, ne utique haec infixam haeret opinio, ac si haec doctrina praeter alios fidei capitibus, ne plane ex Ecclesia amittatur, novos polceret Doctores: sed potius nosmet ipsos in iis, quae quondam a Praeceptoribus nostris audivimus, quaeque passim pertractata legimus, confirmare, eademque etiam in aliorum gratiam repetere, animus est. Sunt quidem magni nominis Theologi, qui, quod se eo feliciter ab aliis, diversum quid statuentibus, distinguere possint, Regenerationis vocabulo (propter hodiernum multiplicem ejusdem abutum) non adeo favent: Licebit tamen absque ulla scandalo aut periculo, ipso Dei Spiritu passim nobis praecunte, eodem uti, cum nihil id exponere impediat, si modo juxta Scripturam ductum illius instituat tractatio. Est quidem, quemadmodum jam supra falsum, modus hujus Regenerationis captui humano incomprehensibilis, neque in omnibus de admirabili hoc partu, cum nimis alta sint atque sublimia, rationem reddere possumus: Attamen, cum sanctus Dei Apostolus promptus paratusque ad suorum semper defensionem dogmatum ex eo fundamento fuisse legatur, *quia extra Moysen & Prophetas nihil unquam loquutus* Act. XXVI. 22; hinc & nos in praesenti negotio non plane desperamus de veritate indaganda, deque promptitudine defendendi praesentes de Regeneratione theses: Illa enim, quam unice sequemur, fidei regula cor animaque addet. Tu autem sanctissime Pater sanctifica nos in illa tua veritate, **verbum Tuum veritas est.**

S. I. R.

§. I.
Regeneratio Græcè *παλιγγενεσία*, si etymologiam
 ejus examinare velimus, nihil aliud dicit, quàm
novam seu *iteratam generationem*; Est quippe ex
πάλι, rursus & *γένεσις*, generatio. Occurrit hoc
 ipsum vocabulum Tit. III. 5. ejusdemq; hanc dictam esse
 significationem, satis claret ex aliis Scripturæ locis, ubi hæc
 ipsa *παλιγγενεσία* describitur. Et quidem Apostolus Petrus
 in priori Epist. I. 3. utitur verbo *ἀναγεννάω*, quod significat
regero; præpositionem enim *ἀνά* in compositione etiam
 significare *rursus*, patet ex Luc. VII. 22 Rom. VII. 9. Idem
 quoq; dicit particula *ἀνωθεν*, quæ quidem propriè est adver-
 bium è locò; in celebri autem illò Christi dicteriò Joh. III. 3.
 vertendam esse per *denuo*, aut quemadmodum aliis placet,
secundà vice, satis constat ex ipsius Nicodemi exegesi, qui
 per *ἵδωτε* explicat v. 4. pro cujus explicationis confir-
 matione addi poterit ex Epist. ad Gal. Cap. IV. v. 9. Idem,
 quod modò diximus, docet quoq; Veteris Testamenti Scri-
 ptura, quando nobis promittit *לב חדש ורוח חדש* *novum*
cor & novum spiritum Ezech. XXXVI, 26.

§. II.

Habet autem hoc vocabulum ex plerorumq; Philo-
 logorum sententiâ duplicem in Sacris significatum.
 Denotat etenim vel renascentiam ad vitam spiritualem,
 vel renascentiam ad vitam æternam. In priori signifi-
 catione hæc vox intelligenda in locis præc. §. notatis; po-
 steriorem autem Matth. Cap. XIX. 28. fundatam esse,
 existimant. Obiter hic notamus diversas diversorum circa
 hunc locum expositiones. Sciendum autem, quòd verba
 Græca, ἐν τῇ *παλιγγενεσία* ab Interpretibus vel connectantur
 cum præcedentibus vel cum sequentibus. Illi, qui hæc
 verba ad præcedentia referunt, explicant partim de ipsâ
 renascentiâ, quæ est ad vitam spiritualem; partim per Re-
 gene:

generationem intelligunt Evangelii prædicationem, quia eam mundus velut de integrò conditus. Qui autem verba jungunt sequentibus, partim futuram hinc intelligunt resurrectionem, partim de illâ mutatione dictum hoc exponunt, quæ fiet in extremò dierum, quam Paulus etiam respicere viderur 1. Cor. XV. 51. Cui harum nunc sententiarum sit subscribendum, me quidem Judice, haud variâ indiget deliberatione, cum Marcus Cap. X. 30. & Lucas Cap. XIX. 30. indice digitò postremam esse amplectendam, svadeant. Cum autem illa in præsentiarum nostræ non sit considerationis, idcirco illam missam facientes, ad Regenerationem eam, quæ renascentiam ad vitam spiritualem dicit, nos convertimus.

§. III.

In illâ verò significatione omnis removenda ambiguitas, ne Regenerationis opus in totâ suâ latitudine spectatum cum Regeneratione strictè sic dictâ confundamus. Annotante etenim Formulâ Conc. p. 686. hæc vox diversimodè accipitur: Quod ipsum hoc locò repetere placet. Verba Formulæ Conc: ita concepta sunt: *Vocabulum Regenerationis interdum in eò sensu accipitur, ut simul & remissionem peccatorum & subsequentem renovationem complectatur. Quandoq; etiam solam remissionem peccatorum & adoptionem in filios Dei significat. Et in hòc posteriori significatu sæpe multumq; id vocabulum in Apol. aug. Confess. ponitur. Deinde etiam Regeneratio sæpe pro Sanctificatione usurpatur, in quâ significatione Doct. Lutherus hæc voce, tum in Libro de Ecclesiâ & Conciliis, tum alibi etiam multum usus est. Verùm de his significationibus prolixiores esse non vacat. Nobis jam constitutum est de Regeneratione agere in speciali suâ ac vulgò acceptâ significatione, quatenus nimirum fidei donationem præcisè denotat, per quam Dei actionem, homo, qui in peccatis*

176
is mortuus, ex morte in vitam transfertur: Hinc & illi qui
CREDUNT Jesum esse Christum, illi ex Deo nati dicuntur.
1. Joh. V. 1. Et quotquot eum exceperunt, eis hoc dedit jus, ut Filij
Dei sint facti, nempe is, qui CREDUNT in nomen ejus. Qui
non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neq; ex libidine viri,
sed EX DEO GENITI SUNT Joh I 12. 13. Distin-
guenda tamen Regeneratio ab ipsâ adoptione, ita ut
Regeneratio, qvoad nostrum concipiendi modum, prior
sit adoptione, quæ rectius inter effectûs Regenerationis
quàm inter Synonyma locum habet.

S. IV.

Diximus in præc. S. qvòd Regeneratio, prouti
à nobis spectatur, dicat translationem hominis mortui
in vitam; hæc quoqve est ratio, cur Synonymi locò
Vivificationis vocem Spiritus S. usurpet, & quidem in Epist.
ad Eph. Cap. II. 5. De hac Vivificatione Paulus ita loqui-
tur: *Etiã nos cum mortui essemus in offensis, unã vivifica-
vit cum Christo; Et in Epist. ad Coloss. Cap. II. 13. Vos mor-
tuos in offensis & praputio carnis vestra, cum eò vivificavit:*
& quidem notanter dicit in versu præc. 12. qvòd hoc ipsum
factum sit *Αἰ τῆς νεκρῶς τῆς ἐνεργίας τῆ θεῶ, per fidem, quæ
est virtutis Divine opus.* In primâ creatione Spiritus Dei
erat *מרחפת על פני המים* incubans super facies aquarum,
qvò ipsò rudis adhuc mundus & suis quasi involutus se-
cundinis, ab illò excitatûs Spiritu. In secundâ creatione
pariter Spiritus Dei est incubans super nos, & quidem su-
per nos tanquam ova inania, informia, *κακὰ ἄσχητα κακὰ
ἄνα*, quæ non aliã quàm infinitã vi ad melioris vitæ fru-
gem assve fieri possunt, hinc Spiritu opus est, vitæ fideiq;
authore & restitutore. Non autem consideratur illa vitæ
restitutio quatenus spiritualis in nobis vitæ conservatio-
nem dicit & augmentum, quæ pro termino respicit vitam
gloriæ

gloriæ, sed primam spiritualis denotat vitæ collationem.

§. V.

Dici quoque solet Regeneratio, *Conversio*, quatenus nimirum à quibusdam Theologis Justificationi & Renovationi contradistinguitur. Observant tamen plerique duplicem esse differentiam inter *Conversionem* & *Regenerationem*, quia hæc fit mediante verbo & Sacramentis; illa verò solo verbo perficitur: Et præterea hæc de infantibus propriè, illa verò tantum de adultis dicitur. Quod verò hanc differentiam concernit, illam potius in modò quam in re ipsâ esse existimaverim. Quòd enim Regeneratio pariter aduultorum sit quam infantum, nullâ indiget probatione: Christus certè Nicodemum docet, eum tanquam aduultum regeneratione opus habere. Nec est cur infantes conversos dicere nolimus: quamvis enim *Conversio* non pari ratione dicatur de infantibus quam de adultis, cum illi non æquè habeant actûs proæreticos, ipsa tamen res (præciso rei modo) iisdem competit. Applicentur modò quæ leguntur in Actis Cap. XXVI 18. ad infantum conversionem, simulque perpendantur exempla infantum converforum Joël. II. 12. 16. Jon. III 5. 10. & certum erit, etiam infantes posse dici conversos: A pœnitentiâ enim ad conversionem concludere, est demonstratio causæ ex effectu. Si tamen modum loquendi Ecclesiasticum attendere velimus, verum est, *Conversionis* vocabulum plus adhiberi de adultis quam de infantibus. Elucelcit quoque ex modò dictis quòd *Conversio* non solo verbo sed etiam mediante baptismatis Sacramento perficiatur, quâ ratione & prior differentia non subsistit.

§. IV.

Hujus Regenerationis Author est Spiritus S. qui renatis

renatis non demum post Regenerationem, cum jam re-
geniti sunt, datur: id ipsum enim esset contra Joh. III. 5.
Tit. III. 5. ubi expressè per Spiritum S. regenerari dicimur.
Sicut cœteroquin omne opus sanctum & spirituale ab ipso
est 1. Cor. XII. 1. ita Regenerationis quoq; nostræ ille est cau-
sa efficiens: unde & illa nova nostra per Regenerationem
accepta essentia καὶ νότις πνεύματος dicitur Rom. VI. 6. Imò
ipse Spiritus S. 2. Cor. IV. 13; notanter τὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, *Spiri-
tus fidei* appellatur, quia nimirum fidem in nobis accendit.
Quemadmodum autem Spiritui S. hoc opus *terminati* vob ad-
scribitur, ita aliàs & reliquis Deitatis personis commune
est, producitur quippe per potentiam ac virtutem infi-
nitam, tribus Essentiæ Divinæ personis communem. Un-
de etiam in specie ab Apostolo Petro in priori Epist. Cap.
I. 3. Patri tribuitur: nec inconvenienter dicitur, Filium
Dei respectu spiritualis hujus Regenerationis, Esa: VIII. 18.
multorum filiorum Patrem appellari.

§. VII.

Noli mirari, sanctissimum Deum Regenerationis
gratiâ dignari abominabilem creaturam: quam enim
ut peccatricem, vi justitiæ Divinæ, morti æternæ adju-
dicare deberet, eandem tanquam suam creaturam, inti-
mâ suâ compunctus misericordiâ, in vitam ex morte
transferre desiderat. Quapropter etiam D. Petrus τὸ
πλὴν misericordiæ Divinæ miratur. 1. Epist. I. 3. Et quando
Paulus gratiam Regenerationis suis proponit Ephesiis,
tunc simul ostendit, Deum *divitiis suæ misericordiæ* per-
motum eosdem regenerasse. Eph. II. 4. 5. Hæc itaq; in-
enarrabilis misericordia Deum intrinsecus movet,
ut nos regeneret. Cujus misericordiæ suæ viscera, salu-
tem nostram auxiliè desiderantia ut sedare possit Goel no-
ster, Jesus, Deus in secula benedictus, sufficientissimò
suò effecit meritò; cum *omnis per Christum parta sit gratia.*

B

Joh

Joh. I. 17. Hæc quoque est ratio, cur Scriptura S. regenitos non solum opus Dei dicat, sed & κληθέντες ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *conditos in Christo Jesu Eph. II. 10,*

S. VIII.

Cum hac ratione justitiæ Divinæ satisfactum sit, ut Deus possit pro multitudine suæ misericordiæ hominem in peccatis mortuum resuscitare, eidemque denuò vitam largiri; sic quoque omnia largissimè suppeditat, ut ad pristinum vitæ gloriæque statum perducatur homo. Non autem hic agit pro absolutâ suâ potentiâ, ut vel solò FIAT hominem regeneret, quemadmodum in primâ creatione unicò omnipotentis sui oris verbò cælum & terra creata sunt, sed certò ordine per media sufficientissima & efficacissima novū creat hominem. Ipsa autem media pro diversitate subjectorum variant. Infantes etenim quod concernit, regenerantur illi sacro baptismatis fonte, quapropter baptismus *λατρὸν παλιγγενεσίας* dicitur, i. e. *balneum & lavacrum Regenerationis. Tit. III. 5.* Itemque juxta Joh. III. 5. *ex aquâ & Spiritu renascimur.* In adultis autem aliter se res habet, illi prius sunt *docendi* & deinceps demum *baptizandi.* Matth. XXVIII. 19. & quamprimum docentur, statim verbo Dei tanquam semine vivò & vivificante, sine morâ vim suam communicante, (quò ipsò homo illuminatur, vivificatur & vivere incipit fide in Jesum Christum,) regenerantur. Hoc ipsum solis radiis scriptum legimus 1. Petr. I. 23. ubi fideles dicuntur *ἀναγεννημένοι διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, regeniti per sermonem Dei vivum.* Hic est ille sermo *ζῶν καὶ ἐνεργῆς, διὰ τὸν ἅρτι μὲν ἔσται ψυχῆς τε καὶ πνεύματος,* *vivus & efficax per- tingens usque ad divisionem anime simul atque spiritus.* Hebr. IV. 12. Ex quò dictò simul fortissimè concludimus, quòd hic vivus Dei sermo non merè moralem habeat vim in per-

578
persuasionē consistentem (qualis persuasio vires liberi arbitrii præsupponit) sed quòd internā ac omnī humanā virtute superiore vi animum hominis moveat.

§. IX.

Dum verbum respectu adultorum Regenerationis causam mediam esse dicimus, illud verò in Legem & Evangelium dispescatur, non incongruò inquiritur: *num per verbum Legis aut Evangelii illa perficiatur?* Certum autem est, Legem in statu post lapsum, *ἐν ᾧ ἠδένει ἄλφ. τῆς σαρκός, quia per carnem infirmata* Rom. VIII. 3. non posse vivificare, potius iram operari, Rom. IV. 15. nos maledictionis mortisque æternæ reos pronunciare. Gal. III. 10. Unde & *litera occidens* vocatur 2. Cor. III. 6. E contra verò *Evangelii* disertam mentionem facit Paulus 1. Cor. IV. 15. *Ego, inquit, in Christo Jesu per EVANGELIUM Vos genui.* Hoc Evangelium est *verbum veritatis.* Jac. I. 18. Ubi simul observamus, veritatem hoc loco denotare Evangelium, quòd in oppositione ad Legem *veritas* dicitur Joh. I. 17. Sed inquires, ergò solum Evangelium hominibus convertendis erit proponendum, aut ad minimum Legis doctrinæ præponendum? Respondetur, quamdiu morbus non agnoscitur, tamdiu ægrotus parùm sollicitus est de medico; Et quod si medicus ultrò suam offerret medicinam, ægrotus verò non convictus esset de morbo, certè medico resisteret, medicinam respueret, optimosq; conatûs irritos redderet; ita profectò & hîc ratio *ordinis divini* attendenda. Cùm etenim ex Lege sit agnitio peccati Rom. VII. 7. quis non videt, prædicatione Legis ad ipsam per Evangelium futuram Regenerationem viam parari? Dixerim itaq; hunc *ordinem* sanò sensu *preparatorum*, vid. Matth. III. 3. seqq. imò etiam *privativum*, removens nimirum incapacitatem & obstacula Regenerationis, sci

B 2

licet

licet opinionem non-indigentia & studium pergendi in peccatis. Quod ipsum quoque Theologi nostri haud negant, dum alii Legem ad Conversionem concurrere, ultrò concedunt; alii verò Legem pædagogiam medicinali peccata ostendere, ad animæ medicum manuducere, imò poenitentia initia facere, docent. Atque sic Deus utriusque & Legis & Evangelii operâ ad Conversionem & Regenerationem utitur: verum cum hâc distinctione, ut unò compellat atque condemnet, alterò verò refocillet atque absolvat. Elegantissimè jam suò tempore hanc noviter disputari cœptam quæstionem discussit *Chemnitius* L. T. P. II. p. 1. & 2. cujus verba proin annotare volumus: Ita autem ille loco citato loquitur: *Nec in docendo, saltem ordo ille servandus est, ut doctrina legis precedat, sed & in seriis pietatis exercitiis. Nisi enim NB. cor lapideum prius subactum & contusum fuerit Jer. XIII. 29. non est capax doctrina Evangelica, sed vinum novum in uteres veteres infunditur Matth. IX. 17. & Paulus graviter dicit: ut promissio gratia detur credentibus, oportet prius NB. omnia per Scripturam concludi sub peccatum Gal. III. 22.* Atque sic his annotatis, facilis ad propositam quæstionem est responsio. Hanc tamen addimus observationem: id quod hactenus de Lege in respectu ad Regenerationem & reliquos gratiæ Divinæ gradus dictum, illud quidem Legem *in se & per se* consideratam non efficere, sed Deum ita Legem dirigere *ex accidenti* ad hominis salutem. Concludimus jam præsentem *S.* verbis Apologiae Aug. nostræ Conf. p. m. 56. *Non potest intelligi magnitudo gratiæ nisi peccatis nostris cognitis.*

S. X.

Quomodo Lex & Evangelium ad nostri Regenerationem concurrant, modo annotavimus. Dum autem pergendi est animus, gratam nobis moram injicit quæstio;

574
ftio: *Quid baptismus homini adulto, per Evangelium iam con-*
verso proficit? Verum enim verò non possumus aliter re-
spondere quàm dicendo: Etiam huic jam Regenito Ba-
ptismum Regenerationis lavacrum esse: ut autem hoc re-
ctius intelligatur, advertendum, Regenerationis donum,
quamvis ejusmodi homo primò conversus sit regenera-
tusque per auditum verbi, tamen per Baptismum mirificè
in eò augeri atque locupletari. Hinc porro dicimus,
quòd Baptismus homini jam regenito duplici ratione fit
lavacrum Regenerationis. (1.) ratione *incrementi*, quia
ratione motuum suorum interiorum Regeneratio magis
& minus recipit, (2.) ratione *obsignationis & confirmatio-*
nis, quia non tantum Regenerationis beneficium sed &
reliqua Spiritus S. dona hoc saluberrimò aquæ lavacrò
non solum confirmantur sed & obsignantur. Claret hoc
similitudine Circumcisionis in V. T. & quidem exemplò
Abrahami. Regeneratus & conversus erat Abraham
ante Circumcisionem, ipsam autem Circumcisionem acce-
pit in augmentum & signaculum gratiæ. Quod argu-
mentum aliàs, quamvis non planè eadem intentione Pau-
lus pertractavit. Rom. IV. 11.

§. XI.

Possit tamen hic nobis scrupulus moveri *de viribus*
nature in homine post lapsum residuis; anne & illa quicquam
conferant ad Regenerationem? Repetimus autem ante o-
mnia; Regenerationem esse opus solius Dei. Quemadmo-
dum enim non nisi infinità potentiâ primus homo crea-
tus, ita quoque non nisi infinità potentiâ homo ex mor-
tuis suscitandus. Proinde cum regeneramur, nulla in nobis
est dispositio, nulla vis & facultas naturalis, per quam Gra-
tiæ Dei cooperemur, & aliquid ad nostri Vivificationem con-
feramus. Claret hoc similitudine generationis, ubi e. g. à

non esse hominis ad *ipsum esse* tenditur, ita quoque in generatione spirituali, novus generandus homo, non potest agere, antequam ipse existat, quia & hinc ab ipso non esse ad esse tenditur. Docet hoc ipsum sacra Scriptura, partim, quando in genere hominem ante sui Regenerationem *mortuum in peccatis* dicit, Eph. II. 1; partim, quando in intellectu nil nisi *tenebras* Eph. V. 8. in voluntate autem *impotentiam* Rom. VIII. 7 reperiri, pronuntiat; Ideo notandum est, quod Christus dicat, *nemo potest venire ad me* (id est, nemo habet vires credendi in me) *nisi ei fuerit datum à Patre meo* Joh. VI. 65. Adeoque naturales vires & actus inde pendentes ad fidei productionem seu ad generationem spirituales efficienter aliquid conferre, ne utique statuendum. Avidè hoc arripiunt irrogeniti, parùm de suâ solliciti Regeneratione, suæque proin pravitate atque malitiæ hinc quærunter operculum: Audientes etenim hominem non posse ex propriis viribus semet ad Deum convertere, existimant, non opus esse aliquam curam, laborem & industriam, *cum non sit eius qui velit neque eius qui currat, sed eius qui miseretur, nempe Dei*, Rom. IX. 16. Verùm non possunt hi ipsi se excusare, occultos quippe naturæ Deus indidit stimulos, qui quemvis hominem, ut de salutis suæ prospiciendi ratione sit sollicitus, interioribus sollicitant, cumque homo & ante sui Regenerationem ex solò naturæ lumine de Divinâ fatis convictus bonitate, ita, ut conclusionibus ex bonitate Divinâ aliisque Dei attributis formatis, certo modo ad Deum quasi ducatur, qui postea *quicquid ad vitam & pietatem pertinet, abundè donat*: 2. Petr. I. 3. hinc & facillè intelligit homo (accedente imprimis veræ Ecclesiæ informatione & manu ductione) mediâ divinitus ordinata non esse rejicienda, sed verbum audiendum & Sacramentis utendum esse.

580
fe. Fātendum tamen hoc ipsum non fieri ex solis natu-
ræ viribus, sed gratiæ quoque supranaturalis hīc reperi-
ri vestigia, quatenus nimirum hæc suscitatio fit à Deo per
aliquem influxum gratiosum, meritò Christi partum,
qvi eò ipsò simul intendit, ut omnia fiant ordinariè per
virtutem verbi & Sacramentorum. Tantò minus itaq̃
homo se excusare poterit, cum & gratiā suā supranatu-
li Deus omnibus hominibus præstò fit, excitando & invi-
tando quemlibet ad majoris gratiæ apparatus, per ver-
bum offerendum.

§. XII.

Hunc suum finem ut obtineat Deus beneficentissi-
mus, Sacrosanctum suum instituit Ministerium. Solus
quidem est qui *auctoritative* & *effectivè* lucem ex tenebris
producit, non tamen hoc facit sine *Ministerio externo*, sed
Ministrorum suorum illuminat corda *ως φωτισθη τὸ
νώστος τῆς δόξης. Ἐ θεὸς ἐν πνεύματι ἰησοῦ χριστοῦ*, ad lucem no-
titiæ gloriae Dei in facie Jesu Christi 2. Cor. IV. 6. Satis lucidè
hanc rem proponit Apostolus Cap. seqv. V. 10. ubi ita con-
cludit: *Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut
Deo vos rogante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini
Deo*, Quemadmodum Apostolus hīc dicit, Deum rogare ho-
mines per Ministerium; sic similem in modum dici potest,
Deū regenerare homines per Ministeriū. Quod ipsum ut eò
clariùs pateat, quædam annotabimus dicta. Et quidem in
fronte collocamus locum ex 1. Cor. IV. 15. ubi Apostolus
de se dicit: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*. In
quo dicto omnes Regenerationis nostræ recenseat causas:
Quando enim dicit, in *Christo Jesu*, eò ipsò docet, infinitā
Christi virtute hoc opus esse productum; facit autem si-
mul mentionem *Evangelij*, ut appareat, non immediatè
sed mediatè hīc omnia fieri, & quatenus hoc *Evangeli-*
um

um ex auctoritate & mandato Domini Jesu Christi juxta
ejus institutionem à Paulo Auditoribus suis applicatur,
eatenus & ipsi spiritualis hæc adscribitur Regeneratio.
Eodem in sensu explicandum quoque est, quando in Epist.
ad Philem. v. 10. dicitur: *quod Paulus in vinculis suis genuerit
Onesimum.* Item, quando Corinthios idem Apostolus
suam vocat in Domino opus 1. Cor. IX. 1. Item, quando de
Galatis scribit: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Quo
ipso simul manifestè docet, multò & sudore & dolore
laborare sanctos Dei viros ad enitendum factus suos spi-
rituales. Dixerim autem illos non incongruè *Matrī-pa-*
tres, quia & Patris & Matris hîc sustinent vices; Certè
quantum filius suis debet parentibus, à quibus pro-
gnatus, tantum quoque & honoris & amoris debet homo
reginitus illi Ecclesiæ ministro, cujus opera in vivifican-
do ipso haud segnis fuit. Apparet ex iis, quæ modò ex
Sacris attulimus, quòd non folius honoris gratiâ hic effe-
ctus Ministerio adscribendus, sed quòd verè proprieq;
eidem, non tamen aliter quàm causæ ministeriali, con-
veniat. Eleganter hanc rem simili quòdam illustrat fe-
licissimus tot natorum in Christo parens, *Paulus* 1. Cor.
III. 9. ubi *Ecclesiam arbum Dei, Ministros autem Dei coope-*
rarios esse, dicit. Ita tamen de hâc re differit, ut, quamvis
molestissimum Ministrorum in plantando & rigando
ostendat laborem, honorem tamen omnemque gloriam
foli Deo vendicet. *Nam neque is, qui plantat, est ali-*
quid, neque qui rigat, sed Deus, qui dat crescendi vim. Atq;
sic nihil decedit virtuti atque efficacîæ Dei cooperantis,
cùm *hæc potentia supereminetia non sit ex hominibus sed so-*
lius Dei 2. Cor. IV. 7. Quod si itaque vetera præterita, & no-
va in nobis facta sunt omnia, *ex Deo illa esse agnoscamus*
2. Cor. V. 17. 18. Ex his omnibus si probè observata fue-
rint

581
fuerint, rectissime quoque colligitur: non dependere
Regenerationis virtutem à probitate vel improbitate cau-
sæ administræ, & quamvis irreginitus Ecclesiæ Minister
per verbum minus efficaciter audientium moveat ani-
mos, quàm Reginitus, fieri tamen id tantum merè per
accidens.

§. XIII.

Haftenus de causis nostræ Regenerationis, dicendum
nunc aliquid de subjecto. Certissimum autem est, *car-
nem & sanguinem non posse regni Dei hereditatem consequi*;
Hinc terreni hominis Adami imago immutanda est in
imaginem hominis cœlestis, id est, Christi. 1. Cor. XV. 49.
50. Gerunt autem omnes homines, caro de carne nati, pec-
caminosam Adami imaginem: quemadmodum enim *per
unum hominem peccatum in mundum introit, & per peccatum
mors, ita in omnes homines mors pertransit*. Rom. V. 12. Ne-
mo itaq; est, cui non opus sit, ut renascatur. Consideratur
autem hîc homo, quatenus is haftenus, usq; ad præsens mo-
mentum, fuit in morte spirituali, ex eâdem tamen virtute
nunc Spiritûs Sancti revocandus. Et ne actum agamus, no-
lumus prolixiores esse in explicatione mortis hujus spiritu-
alis, cum eâ de re, quamvis paucis, sufficienter tamen dictû
sit §. XI. Illud verò hîc observamus: quemadmodum homo
per lapsum amisit præstantissimum *intellectus* lumen, in cu-
jus locum horrendæ successerunt tenebræ; item habitualem
voluntatis ad quævis mandata divina in sanctitate & justi-
tiâ promptitudinem, in cujus locum successit omnimoda
ad bonum impotentia; pariter & ordinatos *appetitus sen-
sitivi* motûs, in quorum locum successerunt intempesti-
væ atq; inordinatæ ad malum rebelliones; & deniq; que-
madmodum membra *corporis* quondam fuerunt serva justi-
tiæ, per lapsum autem peccati serva facta sunt: ita quoque
C homo

Homo quoad hæc omnia regenerandus, i. e. non tantum quoad *intellectum & voluntatem*, (quod nonnulli volunt) sed etiam quoad *appetitum sensitivum*, imò quoad ipsum *corpus & ejus membra* vivificanda. Quicquid enim est mortuum, illud debet vivificari. Atqui hæc omnia sunt mortua, ergò & vivificari debent. Neque sine fundamentò hæc à nobis adducuntur. Cum autem de *intellectu & voluntate* unusquisq; hoc facile concesserit, qui modò obiter perlegerit, quæ Paulus nobis reliquit Eph. IV. 18. Rom. II. 7. ideo ulteriorem non addimus probationem. Quando verò de *appetitu sensitivo* quaeritur, tunc quidem constat, referri potius à quibusdam ad Renovationem & Sanctificationem: verum non video, quomodo ab actu Regenerationis excipi possit, cum hæc ratione per continuata carnis desideria fidei salvificæ in intellectu & voluntate generatio impediretur. Præterea negari nequit, quòd in adultis dolor de peccatis admissis, fidem antecedens, in appetitum sensitivum introducendus sit, ergò etiam hoc modo Regenerationi subjacet. Pariter quoque de *corpore* notamus, dici illud *templum spiritus Sancti*. 1. Cor. VI. 19. Quamvis itaque in Renovatione homo actu membra sua exhibeat Deo, tanquam justitiæ Terva, virtutem tamen exhibendi accepit in ipsâ Regeneratione: quia omne id, quod sub vitæ venit nomine, primò in Regeneratione homini donatum. Ultimo loco & hoc advertendum esse existimaverim, quòd Deus non tantum partem hominis, sed totum regeneret hominem, adeoq; non animam tantum sed & corpus: unde postea homo sic regeneratus *Deum glorificat & animam & corpore, quæ Dei sunt*. 1. Cor. VI. 20.

§. XIV.

Sed ulterius inquirendum est, in quò consistat hæc Dei

582
Dei circa hominem mortuum Vivificatio & Regeneratio?
Diximus eâ de re paucis §. III. quæ nunc pluribus se-
cundum revelationem Spiritûs Sancti in verbô scriptô
factam, adeoque non demum extra verbum exspectan-
dam, diducenda erunt. Egregiè eâ de re loquitur Pau-
lus Gal. II. 20. *Vivo autem, inquit, non amplius ego: Sed
vivit in me Christus: Et vitam, quam nunc vivo in carne, vivo
per fidem filii Dei.* Ex quo dictô hanc formamus thesin,
*quòd vita Regeneratorum sit fides: & si regeneratorum vita fides
est, hinc porro sequitur, quòd Regeneratio consistat in
fidei donatione.* Inspiciamus Cap. Joh. III. tanquam sedem
hujus doctrinæ propriam & quidem à v. 10. usque ad
v. 19. & videbimus, idem à Salvatore nostrô tradi-
tum. Cùm enim Nicodemus interrogasset: *quomodo
possunt hæc fieri?* Christus totâ tuâ oratione docet, fieri
hæc *per fidem.* Perpendantur modò in timore Domini,
quæ leguntur v. 15. 16. 18. & apparebit, Christum ita Ni-
codemum de Regeneratione informasse: quòd nimirum
tunc regeneretur homo, quando credit in filium Dei.
Variis Scripturæ dictis hoc ipsum confirmare possemus,
sufficiat autem duo tantum adhuc adnotasse. Primum
extat in Epist. ad Gal. III. 26. *Omnes, inquit Apostolus, filii
Dei estis per fidem in Christo Jesu.* Secundum legimus Joh.
I. 12. ubi dicitur: quòd *illis, qui Christum excipiunt, i.e. quem
admodum statim additur explicatio, qui in nomen ejus
credunt, jus decur, ut fiant filii Dei.* Cùm itaque secundum
hæc dicta filiatio sequatur fidem, non possumus aliter
quam juxta analogiam generationis carnalis subsumere,
Regenerationem spiritualem consistere in ipsâ fidei col-
latione. Annotandum tamen hîc, quòd Regeneratio
non sit *momentanea*, (quod tamen de infantibus lubenter
concedimus, quia ibi resistentiæ affectatæ atque luctæ nul-

C 2

lus

lus datur locus) sed quod *successiva* fit. Certum quidem est, unum hominem facilius regenerari quam alterum, interim tamen, cum illuminatio tanquam primus fidei actus non fiat nisi per successivam informationem, hinc facile apparet, & ipsam Regenerationem fieri successivè. Nec est, hâc de re quod dubitemus, cum anxio suo partu, (quæ est verbi *ὀδύνη* emphatica significatio) Paulus id satis testetur Gal. IV. 19. Quando tamen aliqui dixerunt, Regenerationem fieri in instanti: illi vel fidem, in ipsâ meriti Christi apprehensione & Justificationis actu spectatam, vel collationem initiorum fidei, quoad primum desiderium intellexisse videntur. Aliàs ex dictis satis apparet, ipsam fidem multis imò interdum innumeris demum repetitis actibus accendi. Habet autem fides duplicem vitam, quarum prior in eò consistit, ut Christum apprehendat, eum sibi proprium faciat firmiterque teneat Gal. II. 20, Cant. III. 4; Posterior charitatis opera producat, unde *fides per charitatem operatrix esse dicitur* Gal. V. 6; atque sic ratione utriusque viva dicitur atque operosa. Dicerem ego, & eò respexisse Apostolum Petrum in posteriori Epist. I. 3. ubi fidem nominat *virtutem divinam*, eandemque *donatam* esse dicit, partim *ὡς ζῆλον ad vitam*, partim *ὡς ἐνδοξίαν ad pietatem*. Circumspectè autem hîc tenendum, quamvis unò eòdemque momentò vel mediante verbo vel mediante baptismò utraqve in nobis producat vita, non tamen utramque eòdem momentò suam exercere virtutem. Sed ante omnia fides Christum in verbo oblatum apprehendit: quamprimùm enim homo peccator ex lege de gravitate suorum convictus peccatorum, iram divinam adversus peccata persentiscit ipsique simul gratia annunciat Divina in Christo, statim simul ac ejus intellectus Christum salutariter agnoscit, eundem quoque appre-

513

prehendit omnemque cordis fiduciam in ipsum collocat. Et tunc homo, qui fide Christum recepit, justificatur, cum quâ justificationis gratiâ indivulsè connexa est gratia adoptionis. Sic autem justificatus, demum incipit ex viribus in Regeneratione à Spiritu S. concessis, Deum & proximum amare; quod ipsum Renovationis, quæ altera fidei operatio & vita, fructus est atque effectus. Sunt quidem, qui vitam hanc posteriorem Renovationis virtuti adscribunt: Verùm cum ex concessis fit, hominem in sui renovatione Deo cooperari, unde etiam jubentur semetipsos renovare Ephesii Cap. IV. Epistolæ ad illos datæ v. 23; hinc necessum est, ut vires ad Renovationem necessarias homo jam ex Regeneratione habeat. In quâ sententiâ eò magis confirmamur, quia bona opera proveniunt ex fide: Ergò donatâ fide, donatur simul virtus benè operandi. Hæc omnia si benè observata fuerint, suppeditabunt simul explicationem: Quomodo nimirum intelligendum, quòd quidam Regenerationem Justificationem antecedere, affirmant, alii verò negent; cum differentia in eò consistat, quòd affirmantes Regenerationem *strictè* accipiant, quatenus utriusque vitæ tantum dicit collationem, negantes verò *latius* hoc accipiant vocabulum, quatenus simul utriusque vitales complectitur actiones. Et quidem pro affirmativâ sententiâ, quæ & nostra est, afferamus manifestissimum locum ex Epist. ad Tit. III. 7. ubi Regenerationis mentio fit in ordine ad Justificationem, quando Apostolus dicit: *Ut heredes efficiamur vitæ æternæ*: Unde rectissimè asseritur, Regenerationem antecedere Justificationem, quia Regeneratio ideo fit, ut Justificatio sequi possit. Facile etiam ex his dictis judicari potest: An Regeneratio *strictè* & *proprie* sic dicta sit vitæ antè actæ actionumque nostrarum immutatio

C 3

vel

vel reformatio? Quod si enim Regenerationis vocabu-
lum in totâ suâ latitudine sumatur, negari nequit, ean-
dem complecti mutationem vitæ in melius: Si verò stri-
ctè sumatur in magis propriâ suâ significatione, quate-
nus nobis spectatur, negatur utique. Differunt enim
hæc duo, Regeneratio nimirum & vitæ mutatio, tanquam
prius & posterius. Illa confert *esse primum spirituale*,
quando per fidem gignimur in filios Dei; hæc autem refor-
matio seu immutatio præsupponit *primum illud esse*, & est
hominis jam regeniti. Paret hoc ipsum exemplo infan-
tium morte præventorum, ut vitam reformare non po-
tuerint, qui tamèn reverà fuerunt regeniti, quamvis illa
immutatio non fuerit insecuta.

§. XV.

Seqvitur tamen Regenerationem insignis quædam
hominis mutatio, quam ejusdem effectum seu finem dixe-
ris. Non enim post Regenerationem homo amplius *vetus* sed
novus est homo, nova itidem *creatura* 2. Cor. V. 17. non qui-
dem quoad *substantiam* seu essentiam, qui error, suâ
femetipsum refutans absurditate, rejectus in Form. Con-
cord. p. m. 678. ubi hæc leguntur verba: *magnâ severitate &*
pio zelo redarguendi sunt Enthusiasta, qui fingunt: Deum
in conversione novum cor atque adeò novum hominem ita crea-
re, ut veteris Adami substantia & essentia, (presertim ve-
rò anima rationalis) penitus aboleatur & novæ animæ essentia
ex nihilò creetur; sed quoad statum & qualitates. Mutatur
etenim *status* hominis in Justificatione, quæ proximus
est Regenerationis effectus, quemadmodum jam suprâ
ex Epist. ad Tit. III. 7. probavimus: cui dicto addi poterit
locus ex 1. Petr. I. 3. 4. ubi dicitur: *Deum regenuisse nos in*
hereditatem immortalem. Quod si itaque homo antea
erat filius Diaboli, nunc immutatus est filius Dei; quod si
iræ

584
ræ erat filius, nunc immutatus filius est gratiæ. Mutatur
quoque idem post Regenerationem quoad qualitates in Renova-
tione: quemadmodum enim baptizati sumus, ut in novitate
vite ambulemus Rom. VI. 4. ita quoque regenerati sumus,
ut in novitate vitæ ambulemus, quia Regeneratio fit me-
diante baptismô: Quod ipsum satis aperte alibi Apostolus
docet, nimirum Eph. II. 10. ubi sic loquitur: *Dei sumus opus,
conditi in Christo Jesu ad opera bona, que preparavit Deus, ut
in iis ambulemus.* Immutatur autem per Renovationem
homo ita, ut, cum antea proclivis fuerit tantum ad malum
וְרַק Gen. VI. 5. nunc post Regenerationem propensus
fit ad omnes virtutes omneque bonum Dei opus perfici-
endum. Rom. VI. 22. VIII. 14

§. XVI.

Multum faciet ad meliorem hujus Doctrinæ intelli-
gentiam, si & potiores Regenerationis consideraverimus
affectiones, quas inter eminet ejusdem Efficacia, quæ non
est physica sed hyperphysica, actionibus tamen physicis in Scri-
pturâ exposita, ad quas referimus etiam quod, Joh. VI. 44.
Christus dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi illum pater
trahat:* Imprimis autem notamus ex Eph. C. I. 19. ubi Pau-
lus de hac efficaciam ita loquitur, quod sit *super eminentem ma-
gnam potentiam Dei, in iis qui credunt, pro efficacitate robo-
ris virinum ipsius.* Neque tantum quoad ipsam fidei pro-
ductionem est efficax, sed & perennis est ejusdem effica-
cia per totum vitæ cursum, hominem in fide conservans
usque ad ejusdem finem. Unde Paulus se persuasum esse
dicit, quod, qui cepit in Regentis suis Philippensibus opus bonum,
perfecturus sit quoque usque ad diem Jesu Christi. Phil. I. 6. Cui
Apostoli Pauli asserto respondet, quod Petrus I. Ep. Cap.
I. 5. dicit, quod virtutis Dei presidio custodiamur per fidem
ad salutem. Advertenda tamen hinc differentia inter effi-
cacia,

caciam, quatenus dicit *efficiendi potentiam in actu primo; efficaciam in actu secundo; & efficacia successum*. Sic, ut simili quodam distinctionem datam illustrem, theriaca in actu primo habet efficaciam pellendi pestem, si actu secundo admoveatur, efficaciter sanat, si autem negligatur aut impediatur, successus non sequitur. Ita gratia Spiritus S. regeneratrix in actu primo semper est efficax & habet potentiam producendi fidem, etiam actu secundo hominem illuminat, ad Christum ducit, vulnera peccati medetur & sanat: neglecta autem & rejecta successum habere haud potest.

§. XVII.

Quamvis enim Deus hic agat secundum potentiam suam infinitam, non tamen agit secundum potentiam absolutam per vim aliquam irresistibilem, sed *potest homo actioni Spiritus S. resistere*, obicem ponere, adeoque Regenerationem suam impedire. Mirum sane est, hoc ipsum adeo praefractè à quibusdam negari, cum nihil clarius dici possit illò Stephani effatò, quod legimus Act. VII. 51. ubi Adversarios suos ita alloquitur: *Vos dura cervicis & incircumcisi corde & auribus, semper Spiritui S. obnitimini: Quales fuerunt Patres vestri, tales & vos estis*. Negari quidem nequit: Quosdam Theologos in illà esse sententià, extraordinariè nonnullos quondam irresistibiliter conversos seu regenitos esse, e.g. *Abrahamum & Paulum*; Quibus tamen alii non immeritò opponunt locum ex Gal. I. 16. ubi Paulus de se dicit: *se non contulisse cum carne & sanguine, cum Deo placueret in ipso revelare filium suum*; adeoque exinde colligitur, quamvis hoc ipsum non fecerit, id est, quamvis non restiterit, ipsum tamen potuisse resistere: Itaque multi homines non resistunt actu, non conferunt cum carne & sanguine, inde tamen non potest concludi, quòd

585
quod planè irresistibiliter sint conversi aut regeneriti. Alia
tamen est quæstio, quando de primis gratiæ prævenien-
tis motibus quæritur: An & illi sint resistibiles? Sunt
quidem, qui etiam illos resistibiles esse dicunt, qui tamen,
cum hoc ipsum de *progressu gratiæ divinæ* intelligant, facile
conciliari possunt cum illis, qui eosdem quoad *gratiæ inti-*
tionem irresistibiles vocant. Rectius tamen, me Judice,
faciunt illi Theologi, qui hos motus nuncupant *inevita-*
biles, si enim consuetudinem non tantum, sed & loquen-
di *anæsthesiam* attendere velimus, aliqua datur differentia
inter has duas phrasas, dum *inevitabile* illud dicitur, cujus
præsentia & sensus non potest evitari, *irresistibile* autem,
cujus operatio non potest impediri. Advertendum præte-
rea hoc est: quemlibet hominem naturaliter resistere gra-
tiæ Divinæ. Hæc tamen communis hominum resistentia
tollitur à Dei Spiritu, adeoque ipsa non-repugnantia ex gra-
tiâ est, ita tamen, ut ordo Divinus observetur & homo se-
cundum notitias naturæ insitas in tantum, quantum pos-
sit, de verâ Dei cognitione sit sollicitus: de quâ re egimus
suprà §. XI. Datur verò præterea resistentia quædam ma-
litiosa & affectata, atque huic imputandum est, quod
non omnes regenerentur, sed quidam obdurantes corda
in statu iræ permaneant.

§. XIIII.

Ita quoque non Deo sed hominibus imputandum,
quod semper multæ ex generatione veteri, eâdemque car-
nali, in homine maneant reliquæ, adeoque & Regeneratio
nostra *imperfecta* in hac sit vitâ. Quod tamen ut eò recti-
tus capiatur, distinguendum inter Regenerationem *acti-*
vam, & *passivam*. Cum enim omne opus Dei bonum sit
atque perfectum, ita quoque Regeneratio ex parte causæ
efficientis utique sine defectu perfecta est. Ex parte verò
recipientis, quatenus passivam in homine dicit immutati-

D

onem,

onem, imperfecta est : testantur id ipsum omnium, quot-
quot unquam vixerunt, Sanctorum exempla, qui partim
anxiè fidei suæ desiderarunt incrementa Luc. XVII. 5; par-
tim peccati originalis stimulis quotidie compuncti, inde-
fessis semper suspiriis suam à peccatò quæ siverunt libe-
rationem. Frustra itaque jactatur hodiè fictus quorun-
dam & merè fanaticus *Perfectismus*, quem alias nomina-
re solent : *Dießsündlichkeit / da der innerliche Mensch
von unrubigen Affecten / Gedanken und Begierden
nichts empfindet.* Quomodo hæc conciliari possint cum
querulâ Apostoli voce in Epist. ad Rom. circa finem Cap.
VII. videant illi, qui *Perfectismô* suò omnem sibi præclu-
dunt gratiæ Divinæ thesaurum. Verum quidem est, fan-
ctum Jesu Christi Apostolum, Johannem, in 1. Ep. III. 9.
hanc ponere thesin : *Ex Deò natum, non dare operam pecca-
to, quia semen ipsius in eò manet, nec posse peccare, eò quòd
ex Deò natus est.* Verum enim verò jam diu immotis
ostensum argumentis, horum verborum nullum alium
sensum esse quàm hunc, quòd natus ex Deò, quamdiu ta-
lis, peccato non det operam, sed illud vitet; i. e. quòd
non ex more & consuetudine istud patret sine metu & Pa-
tris cœlestis offensâ. Ea enim est phrasis, *non facere pec-
catum*, significatio, ut eâ denotetur, Regenitos non li-
benter velle peccatum facere sed fugere. Optimus præ-
tereâ verborum suorum Interpres est ipse Johannes, unde
postea Cap. V. v. 18. hanc propositionem aliis effert verbis,
quando ita scribit : *novimus quòd omnis, qui natus ex Deò,
non peccat, sed servat seipsum* (ne malitiosè peccet, quòd
Scriptura emphaticè effert elatâ manu) & (SIC) *malus seu
Diabolus non attingit ipsum,*

§. XIX.

*De necessitate hujus Divini operis, quòd hætenus confi-
deravimus, non est ut plura cumulemus; sufficiat unicum*
Salva-

Salvatoris nostri pronuntiatur: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum caelorum. Joh. III. 3. Quam necessaria enim ipsa est fides, tam necessaria quoque ejusdem est donatio. Interim tamen solus homo ad hunc adstrictus est ordinem, quem si quis neglexerit, propria culpa aeternam privatur hereditate. Alias quippe extra hunc ordinem Deus quandoque agit *extraordinarie*, & illos salvando infantes, qui ante perceptionem lacri Regenerationis lavacri ex vivis decedunt. Hoc autem observandum: id quod modo diximus, non extendendum esse promiscue ad omnes omnino infantes, sed tantum ad illos, qui in Ecclesia nati sunt. *Horum etenim est regnum Dei*, Marc. X. 14; & Deus non solum noster *sed & seminis nostri Deus esse*, promisit Gen. XVII. 7. Plura de hoc casu loqui possunt in *Agendis nostris Ecclesiasticis* p. m. 216. seqq. ex quibus pauca hic adscribamus p. 218. (b.) Darumb soll man solch Kindlein/ bey und über welchen solch seuffzen/ wünschen und beten von den Christen oder Gläubigen geschiehet / nicht also dahin verdammen/ gleich denen andern/ dabey kein Glaube/ Gebeth noch Seuffzen von Christen und gläubigen Leuten geschicht. Denn er will sein Verheissen und unser Gebeth und Seuffzen darauff gegründet/ unverachtet und unverworfen/ sondern hoch und theur gehalten haben. So habet auch droben gesagt / gepredigt / und sonst gnugsam / wie durch eines andern oder frembden Glauben und Seuffzen/ Gott viel thut/ da noch kein eigen Glaube ist/ aber bald durch andere Fürbitte gegeben wird/ wie im Evangelio Christus der Wittwen Sohn annahm/ durch seiner Mutter Seuffzen/ ohne seinen eigenen Glauben/ vom Tode auferwecket/ und des Cananäischen Weibes Tochterlein vom Teuffel loß macht/ durch der Mutter Glauben/ ohne der Tochter eigenen Glauben: Also auch des Römischen Sohn Joh. IV.

D 3

und

und von dem Sichtbrüchtigen Matth. IX. und viele mehr:
Quæ verba ex Tom. XII. *Witteb.* Lutheri desumpta sunt.
Quod si autem homo extra necessitatis casum positus fue-
rit, tunc certè aut verbo aut baptismo regenerandus, aut
in æternum peribit. *Quicumque enim non crediderit, con-*
demnabitur, & contra qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-
vabitur. Marc. XVI. 16.

§. XX.

Magnum est hoc Dei beneficium, verbis nunquam
efferendum satis, dum hominem mortuum ex morte ad
vitam transfert, eundemque idoneum reddit, ut parti-
ceps fieri possit Divinæ naturæ. Sed quò major hæc gra-
tia, eò magis iræ exponitur Divinæ, quisquis sponte suâ
Spiritus Dei contristatur, fidem exstinguit, atque sic il-
lam, quæ ex Deo est, vitam amittit. Possè hoc fieri, ade-
oque *Regenerationis gratiam amitti*, ita ut homo verè re-
genitus iterum in pristinum miseriæ statum relabatur,
non tantum expressis Scripturæ testimoniis sed & innu-
meris posset probari exemplis. Operosum nimis foret
omnia conquirere, proin unum alterumve tantum anno-
tabimus. Negari nequit, Apostolum in Epist. suâ ad Rom.
II. 10. Regenitos intelligere, quando scribit: *si secundum*
carne[m] vixeritis, moriemini. Et quid planius dici posset
quam illud Ezechielis Cap. XII. 24. *Si adversus fuerit justus*
à justitiâ, & fecerit iniquitatem, numquid vivet? Quæ jacturæ
possibilitas quoque ex adhortationibus & commina-
tionibus probatur Divinis. Non enim frustra scriptum
est: *videite fratres, ne quando sit in ullò vestrum cor malum*
incredulum, desciscendo à Deo vivò, sed exhortamini alij alios
quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis in-
duretur seductione peccati. Christi enim consortes facti sumus,
si modò PRINCIPIUM illud, quo sustentamur, firmiter retio-
nerimus usq[ue] ad finem. Ebr. III. 12, 13, 14. Nonne satis hoc
porro

porro probant *Hymeneus & Alexander*, qui bonâ expulsi cōm-
scientiâ naufragium fidei fecerunt? 1. Tim. I. 19. Existiman-
dū tamen non est, gratiam Regenerationis quolibet statim
amitti peccato, etiam eō, quod ex ignorantia & præcipitan-
tia humanæ infirmitati facili, committitur, cum, quæcunq;
illud sit, statim pœnitentiâ corrigatur; sed tunc demum a-
mittitur, quando vel animi lapsus malitia, vel frequens adest
continuatio actuum infidelitatis & impietatis, cum morosâ
in iis delectatione & perseverantiâ conjuncta. Talem autem
jacturam non solum fideles totaliter & finaliter, sed & ele-
ctos totaliter, & quoad tempus diuturnum facere posse:
Reges *Saul & David* suis possunt testari exemplis,

§. XXI.

Sed eheu! quàm imperscrutabiles sunt gratiæ Divi-
næ abyssi: Dum Deus nunquam cessat, sic reiteratâ vi-
ce mortuum denuo in vitam revocare. Ægroto quidem
in fide sufficit Renovationis medicina, at spiritualiter mor-
tuus novam exigit *Regenerationem*. Non quidem desunt,
qui hanc novam fidei donationem Conversionis quàm
Regenerationis nomine appellare malunt; verum cum
ipse Apostolus ad Gal. IV. 19. *Reparturitionem* satis clarè do-
ceat, non videmus, quare hic aliquis quærendus nodus.
Ita autem *Paulus* suos loco citato alloquitur Galatas: *Fi-
lioli mei, quos iterum parturio*: Quo ipso innuit, Galatas
defecisse, gratiam amisisse, Christum perdidisse; nunc au-
tem multo sudore & labore Christum de novo in illis esse
formandum, pristinamque Christi faciem in illis repa-
randam. Non quidem hic opus est baptismo iterando,
sed sufficit verbum Evangelii, ex quo iterum concipitur
fides & homo denuo reviviscere incipit. Nec est, quod
dicas, semen Regenerationis primæ esse ἀφ' ἑαυτοῦ 1. Petr. I.
23. Nam & sol est ἀφ' ἑαυτοῦ & tamen tenebris cedit: Sic
quoque incorruptibile verbi semen ita auferri potest è cor-
de *Luc. II. 12.* ut planè novâ opus sit *Regeneratione*.

D 3

§. XXII.

§. XXII.

Atque sic breviter & quidem unice secundum veram
 omnis scientiæ Theologicæ normam, præsentem de Re-
 generatione absolvimus materiam, in quantum illa ex re-
 velationis lumine cognosci potuit. Coronidis nunc locò
 infallibilia quædam addamus *κελήρια*, ex quibus certò de
 Regenerationis gratiâ nobis constare possit. Jubet ete-
 nim Apostolus I. Cor. XIII. *s. ut nos ipsos tentemus atque explo-
 remus: num in fide simus?* Nihil quidem certiores nos de hu-
 jus gratiæ statu reddere potest ipsò Dei Spiritu, *quando ille
 unâ cum Spiritu nostrò testatur, nos esse Dei filios.* Verùm
 cum hujus interni testimonii, tempore imprimis vehe-
 mentioris tentationis, nulla in nobis reperiantur vestigia,
 alia quædam notanda erunt signa, de fide & Regenerati-
 one testantia. Quæ inter *primum* erit desiderium audien-
 di verbum: *Si quis enim ex Deo est, verbum Dei audit.* Joh.
 IIX. 47. *Secundum* erit amor Christi & proximi: *quorum
 enim Deus Pater, illi Christum diligunt,* Joh. IIX. 42. & si
 fratres diligimus, certum est, *nos ex morte ad vitam trans-
 latis esse.* I. Joh. III. 14. *Tertium* erit studium vitandi peccata,
 & bonorum operum exercitium, juxta illud I. Joh. III. 9.
*quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam, quoniam se-
 men ejus in eò manet: nec potest peccare, eò quòd ex Deò natus
 est,* & Cap. V. 4. *Quicquid natum est ex Deò, vincit mun-
 dum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, nempe fides nostra.*
 Benedictus autem sit Deus & Pater Domini nostri Jesu
 Christi, qui ex multâ suâ misericordiâ regenuit nos in spem
 vivam, ad hæreditatem nobis in cœlis servatam, quæ nec
 corrumpi, nec contaminari, nec marcescere potest. Ille
 Deus in Secula benedictus, suæ virtutis præsidio
 custodiat nos omnes per fidem ad salutem
 æternam AMEN!

588

Generoso & Clarissimo
DN. de PLATEN,
Solertissimo pariter atqve
pientissimo Musarum Filio, Amico
atq Domesticus suo svavissimo
S. P. P.



X eô, postquam Academiæ huic no-
stræ nomen dedisti, ingenuo Tuo vultu
& moribus optimè compositis, sin-
gulisq; Tuis conatibus, non nisi infu-
catum ad sanctiora studia animum
spirantibus, talem Te exhibuisti, ut
unusquisq; facile animadverteret, Tu-
as ex merito æstimandas & amandas esse virtutes. Ego
profectò non potui aliter, quàm pro eô, qui mihi à teneris
fuit in Theologiam, affectu, ardentissimis Te excipere
amplexibus; Et si quâ fortè in re, Tuorum potui inservi-
re studiorum incrementis, ipso jure me ad id obliga-
tum esse, semper existimavi. Quis enim non sum-
mâ animi cum voluptate Tecum conferret, dum
Tuum discendi desiderium nullis coarctetur limiti-
bus, & neque horarum numerus, neque scientiarum
multitudo aut varietas ullum Tibi unquam creet fasti-
dium? Testes indefessi Tui & nunquam remissi labo-
ris produco omni exceptione majores, Viros de Aca-
demiâ

demia non tantum nostrâ, sed universâ quoque Jesu
Christi Ecclesiâ ad nominis usque immortalitatem,
bene merentes, Viros maximè Reverendos atque
Excellentissimos, FECHTIUM nostrum atque GRU-
NEBERGIUM, quorum non tantum in privatis sed
& publicis Scholis pertinacissimus hactenus fuisti
Auditor. Ex toto itaque pectore gratulor Optimo
Tuo *Genitori*, *Viro* non multorum tantum Avorum,
Atavorumque insignibus, sed & propriis Generosæ atq;
illustris prosapiæ signis Ornatissimo, Filium defræna-
to cursu ad summum Theologiæ fastigium annitentem.
Adsit Tibi ulterius Deus fortissimus exornando quoti-
die majori scientiarum apparatu ingenium Tuum, quod
præsenti in conflictu, primâ nunc vice, præsentibus tot
judiciosissimis ingeniorum censoribus explorationi ali-
orum exponere haud vereris. Faxit DEUS, ut omnia
Tibi cedant feliciter. Vivas & valeas omni felicitatis
affluxu beatus. Scribebam in musæo d. 28. Jan. Ao. 1700.

A. J. de KRAKEVITZ, D. & P. P.




589
Bella decent Juvenes generoso sanguine natos,
Et pugnæ, claros nobilitate Viros. (ras,
Hoc reputans Tu, Sacra, PLATO, certamina spi-
Atque Stygem totam in prælia dura vocas.

Illa tremit jam nunc, Tu contra audentior ito,
De trepidâ facile, Tu Styge victor eris.

Victor eris! mecum jam tota Ecclesia clamat,
Ipse Polus vilus dicere, Victor eris.

*Hiscæ paucis Generoso Domino Respondenti de pu-
blico eruditionis specimine gratulari voluit*

CASP. MATTH. MULLER D. P.P. &
Acad. h. t. RECTOR.



Ad

Generos. & Clar. Dom. à PLATEN,
De Regeneratione disputaturum.

Res mira & meritò facti gravitate notanda,
Quæ visâ exempli est nomen habere novi.
Tempore nec nostro fortè est audita, nec olim,
Ætas quam tacitâ postera mente colet.

Theiologus, genus excelso de stemmate ducens
Et magis antiqvæ stella corusca domûs.

Intrepido vultu sacram de more cathedram
Dum premit atque hosti publica bella movet.

Affumit secum sacri in certaminis æstum,
Qui sciat alternis reddere verba notis.

Stemmatis haud minus hic generoso lumine certat
Et numerat prisicæ nomina clara domûs.

Theiologum præsentat Eqves. Mutatur arena
Et schola pro campo templaque sacra calent.

Armaque mutantur, telum sacra verba ministrant,
Pro galeâ est virtus, pro clypeoque fides.

X

His

His armis posthac contendere pergite uterqve,
Et generis Vestri gloria perpes erit.

f. grat.

JO. FECHT, D.P.P. Consist. Duc. Assess. &
District. Rost. Superint. h. t. Fac. Th. Decanus.

Non placido, *Pie Plate*, Tibi potuere feroces
Et machinæ, gladiiq; & bellica fulmina cordi
Ac voto simul esse, magis qvin sancta placerent
Castra DEI pacis cupidas cingentia mentes.

Nobilitatis opus, qvo non sublimius ullum,
Mente manuqve tenes Verbum Cœleste Jehovahæ.
Sic CRACOVIZIADEN recte sectaris, & illo
Sub Duce, quid verè generatio Dia vocetur,
Quidqve DEO natos pariat, quæ gloria stirpi
Cœligenæ sancita, & ubi composta residat,
Svavisonis cœloqve datis ediscere verbis,
Ac forti nisu laterumque orisqve docere,
Et sacro vitæ gestu monstrare parabis.
Maacte DEI virtute! Pie relinqvere vanam
Mundi gloriolam, certæqve ad pondera libræ
Metiri, quantum distent cedreta myricis,
Perge DEO Dilecte. Tibi vox aurea cœlis
Jam sonat, & Gnato gratans Tibi sponte labores,
Æternos orbi fructus promittit IOVAH.

Gratulabundus ex animo scripsit

JOH. PETR. Grünenberg / D.

Die Ehre ist das Ziel / darnach wir alle lauffen/
Der Schatz / nach dessen Glantz uns Sinn und
Auge lacht/
Das Kleinod / so die Welt mit Guth und Bluth will kauffen /
Das rechte Zuckerbrodt / so bitter süsse macht.

Wie

590
Wierdaß kein Mensch auch will die schöne Zeit verlieren
Wenn Er nur einen Steg zur Ehre offen sieht/
Er fühlet einen Trieb/ und läßt sich gerne führen
Er geht der Ehre nach/ wo Ihm das Glücke blüht.
Kan aber woll das Loß zur Ehren Staffel heben?
Wird uns die Ehre woll im Schlasse zugeführt?
O nein! Wir müssen uns den Lehren stets ergeben/
Bis endlich Fleiß und Kunst das Glücke besser ziert.
Wer Ehre kauffen will/ der muß mit Tugend handeln/
Sonst wird der Hoffnung nicht die helffte gut gethan/
Es muß die Sterblichkeit auff diesem Markte wandeln/
So fängt Sie alles Werck mit gutem Bucher an.
Die güldne Tugend legt den Grund zum höchsten Guthe/
Sie pflastert uns gewiß die rechte Freuden-Bahn/
Dadurch ein freyer Fuß mit unerrücktem Muthe
Die sichere Ehren-Burg nach Wunsch ersteigen kan.
Drüm kan ihr helles Licht sich nicht verborgen halten/
Sie bricht doch dermahleinst mit grossen Lob herfür/
Wer nur derselben Gluth nicht schläffrig läßt erkalten/
Den lobnt sie wunderbarlich nach eigenem Gebühr.
Schwingt nicht ein Adler sich stets nach den rothen Lüfften/
Allwo der Sonnen-Pracht am allermeisten prangt?
Spielt nicht ein Diamant oft aus steinharten Klüfften?
So glänzt auch überall/was Tugend hat erlangt.
Nun woll geliebter Freund! Er hat bisher bewiesen
Was er für grossen Fleiß zur Tugend angewand/
So/ daß der Musen Chor vor andern Ihn gepriesen/
Weil sich die Tugend selbst vermählt mit seinem Stand.
Iht muß sein Adlers-Sinn schnell durch die Wolcken dringen
Und der gelahrten Welt bezeugen seinen Fleiß/

Weil

Weil bey Ihm Kunst und Wiß stets in die Wette ringen/
Von denen dieser Ort die Prob zu rühmen weis.
Der Anfang hat sein Lob: Doch wollen diese Wege
Durch Unverdroffenheit zugleich geendet seyn;
Der Himmel laß Ihn fest auff solchen Tugend Stege/
So dringt kein Laster-Schimpff in seinen Rahmen ein.

Mit diesen wenigen hat dem Wohlgebohrnen Herrn Respon-
denten Ihre Schuldige Gratulation abstaten wollen

Diesämptliche POMMERS: Nation.



Vi prius ingenuas studuit non segniter Artes,
Artibus is meritò jungit honoris opes.
Sic Tibi contingit, dum carpit tramite campum
Palladis immoto mens generosa fatis:
DeRhodiis dat ferta rosis fragrantia Varnus
Et laus sacra sacris perpetuata manet,
Te quisquis laudat, non Spem, Rem laudat at ipsam,
Non Spes ingenium, Res probat ipsa Tuum,
Hinc mea Musa canens tantis applaudere cœptis
Urget, & in laudes surgit Amice Tuas;
Augurio magnæ post hæc præconia famæ,
Quæ Tibi per doctos crescat honore gradus.

Hæc paucis Amico suo & Conterraneo scrib.

FRANTZ de GLASENAP. Eqves. Pom.

Εγγυέων κῦδος μόχθους καταπερσάτη βεβαίως,
καὶ θητὶ τὴν καθέδρην νῦν ἀναβαῖν' ἀδεῶς.


Ἐίλωπι, συζητῆν θρασέως σὲ ἐστὶ βραβεῖον,


οὕτω γὰρ χήσις ἔνομα, ΠΛΑΤΕ, πλατύ.


οὕτω τῆς φιλίας, τῆσσι


πμῆς ἐνεκα συγχαίρει

D. C. CROLOVIUS, SS. Th. Stud.










Wierdaß kein Mensch auch will die sa
Wenn Er nur einen Steg zur Eh
Er fühlet einen Trieb/ und läst sich ger
Er geht der Ehre nach/ wo Ihm i
Kan aber woll das Loß zur Ehren St
Wird uns die Ehre woll im Sch
O nein! Wir müssen uns den Lehren
Bis endlich Fleiß und Kunst das
Wer Ehre kauffen will/ der muß m
Sonst wird der Hoffnung nicht die
Es mus die Sterblichkeit auff diesem
So fängt Sie alles Werck mit gute
Die güldne Tugend legt den Grund zu
Sie pflastert uns gewiß die rechte
Dadurch ein freyer Fuß mit unerr
Die sichere Ehren-Burg nach Wun
Drüm kan ihr helles Licht sich nicht ve
Sie bricht doch dermahleinst mit gra
Wer nur derselben Gluth nicht schläffr
Den lobnt sie wunderbarlich nach eigen
Schwingt nicht ein Adler sich stets nach
Allwo der Sonnen-Pracht am all
Spielt nicht ein Diamant oft aus stein
So glänzt auch überall/was Tugen
Nun woll geliebter Freund! Er hat bis
Was er für grossen Fleiß zur Tugen
So/ daß der Musen Chor vor andern
Weil sich die Tugend selbst vermäh
Iht muß sein Adlers. Sinn schnell durch
Und der gefahrten Welt bezeugen sei



the scale towards document

590
...leren
t/
blüht.
hrf
en/
r ziert.
andeln/
gethan/
ndelu/
m.
Guthe/
ohn/
the
kan.
ten/
für/
en/
Lüfften/
angt?
fften?
t.
/
n/
n Stand.
ndringen
Weil